

Quantum autem istud esse debeat jus naturale non determinat, accedit vero jus civile quod dicitur, quantum imperans, ut solvatur velit, vide supra §. nostram 1.

§. VIII. Huc ea respiciunt à Theologis pariter ac Moralistis sapienter de usura dicta, dum omnes primario ad æquitatem naturalem, atque inprimis ad lucrum cessans oculos gerunt intentum. Ita enim Gerh. Loc. Theol. de Magistr. Polit. §. 234. in usura, inquit, ita comparatum est, ut quod debitor pecuniam à nobis expetat, non extrema quadam inopia compulsus, sed sine eo, ut negotietur, lucretur & commoda sua paret, vicissim etiam negari nequit, creditorem potuisse ipsummet, hac sua pecunia itidem negotiari, lucrari & commoda sua parare; ipsa igitur æquitas & juris naturalis sanctio requirit, ut debitor cum creditore eo modo agat, quo modo secum simili in casu actum velit, hoc est, ut in participationem commodi creditorem admittat, & in compensationem illius augmenti facultatum suarum, quod pecuniæ usu parare poterat, atque interim eo carere cogitur, quotannis aliquid ipsi expendat. Hactenus Gerhardus. Idem cum hoc sentit Meisn. in Philos. Sobr. part. III. C. VI. Cujus ex satis de hac re proluxa dissertatione hæc tantum excerpti: Requirit æqualitas cum primis æqualitatem, ne unus merum sentiat, commodum, alter merum incommodum; Sed quando contractus instituitur, tum commoda & incommoda ut sint æqualia æquum est. &c. Ex Calvinianis consentit Turretin. in Instit. Theol. Elencht. L. XI. qu. 19. §. 13. atque usuram inter alias rationes in æquitate naturali ponit, quia æquum sit, ut qui commodum percipiat ex ære alieno, ejus participem quoque faciat alium, cujus subsidio commodum hoc percipit in debitam compensationem. Nec dissentit Grotius de J. B. ac P. L. II. c. XII. §. 21. Observandum tamen est quasdam, quæ ad usuræ speciem accedant, ac vulgo usuras esse videantur, cum tamen pacta sint generis alterius: ut de repensando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuam eo quod diu pecunia careat: Item de lucro ob mutui cessationem cessante deducto scilicet incerti spei & labore, qui subeundus fuerat, usuram non esse. Et Tesm. in b. l. Negari non potest, quin hæc carentia pecuniæ sæpe noceat; quanti est, justo tempore sibi comparare subsidia familiæ? quod sane non possum, si aliquis possidet pecuniam meam. p. 437. Egregie etiam sententiæ nostræ inservit Salmasius, qui usurarium cum mercatore comparat, ac utriusque conditionem in lucro acquirendo eandem facit. Conf. ipse de usuris c. XVIII. p. 524.

B

§. IX.